

IN

LUCIANI HERMOTIMUM PROLEGOMENA.

CAP. I.

De duplici titulo dialogi.

Duplicem huiusce dialogi titulum Luciano vindicaturus alterumque argumento dialogi breviter indicando peraptum demonstraturus quum nondum hanc rem accuratius tractatam viderem, paulo altius repetendum et tam de Lucianeis titulis universe disputandum quam dialogi argumentum breviter enarrandum esse duxi. Neque mihi verendum erit, ne a liberiori prolegomenorum ratione alienum habeatur, quod ultra hunc librum evagatus simul aliis Lucianeis titulis aut iniuria damnatis aut librariorum culpa corruptis aliquantum auxilii afferre studui. Nam ita demum de singulis titulis firmiter iudicari poterit, si ex universis recte explicatis aut emendatis scriptoris consuetudinem cognoverimus.

Inscriptus est libellus in omnibus codicibus et editionibus *Ἑρμοτίμος ἢ περὶ αἰρέσεων*, idem a scholiasta ubi citatur simpliciter Hermotimus vocatur. Cf. Schol. ad Luc. Somnium ed. Jacobitz. tom. IV. p. 1. Etiam recentiores interpretes Luciani hoc titulo primario uti consueverunt; quem morem non est quod improbemus, modo ne alter titulus posthabeatur aut damnetur. Verumtamen ab omnibus fere qui de titulis Luciani libellorum suam sententiam dixerunt duplices tituli, quales viginti octo Luciani scripta et codicibus optimis traditos et a scholiastis magnam partem citatos et explanatos in fronte habent, eodem quo Platonici loco haberi solent. Ut enim hodie satis constat, in Platonis dialogis eos titulos quibus eorum argumentum breviter indicatur, a posterioribus librariis sive philosophis sive grammaticis inventos et simplicibus nominibus quae Plato ipse iis inscripserat additos esse, ita nulla ratione diversorum temporum habita etiam apud Lucianum alteri tituli, praesertim quod nonnulli eorum minus placent, universi temere ut librariorum inventa damnantur et reiciuntur aut summum propter quandam antiquitatis verecundiam in editionibus adhuc tolerantur. Cf. Diog. Laert. III, 57 sq. ibique Menagium, qui etiam satiras Menippeas Varronis ut plurimum binomines fuisse dicit. (Ed. Huebner tom. IV, p. 511.)

Wolf adnot. ad Plat. sympos. praef. p. 1 sq. Stallbaum ad Plat. Phileb. praef. p. 32 sq. Brandis hist. philos. II, 1, p. 156. Nemo autem, quod sciam, Lucianeorum titulorum naturam ita explorare operae pretium duxit, ut de universis et singulis certi quid constet. Quae enim Iacobus in prolegomenis ad Toxarim p. 37 sq. de Luciani titulorum origine et fine pluribus disputavit, ea profecto nemini satisfacere possunt.

Iam primum, quod neglectum veritati maxime officisse mihi videtur, tenendum est iam ante Luciani aetatem in titulis inscribendis longe diversam a Platonis usu consuetudinem invaluisse. Nam ex Diogenis Laertii catalogo scriptorum Epicuri et Chrysippi certo cognoscimus complures horum philosophorum libellos eodem modo quo Luciani duplicibus titulis inscriptos fuisse et ita quidem, ut plerumque prior ex nomine quod vocant proprio constaret, posterior autem uno alterove nomine appellativo argumentum libelli breviter indicaret. Cf. Diog. Laert. X, 27 seq.; VII, 191 sqq. ibique Menagium, ed. Huebner tom. IV. p. 532 sqq. 263 sqq. Welcker opusc. II, p. 579. Inversi ordinis exemplum offert Diogenes l. l. citans titulum Epicuri libelli *Περὶ ὁσιότητος ἢ Ἠγησιάνναξ*, quod Lucianus semel secutus est in dialogo qui inscribitur *Συμπόσιον ἢ Ἀντίθαι*, nisi quis etiam huc trahere velit dialogum cuius titulus est: *Κατάπλους ἢ Τύραννος*, cui tyranno Lucianus nomen fictivum Megapenthen dedit. Quin apud eundem Diogenem (VI, 16) Antisthenis Socratis discipuli nonnulli libelli duplici eiusmodi inscriptione praediti inveniuntur. Cf. Brandis l. l. II, 1, p. 76 sq. Iam vero etiamsi non prorsus negaverim fieri potuisse, ut horum philosophorum libri pariter ac Platonis a posterioribus librariis duplices titulos acciperent, tamen quod volo e Diogene necessario sequitur, iam ante Lucianum illum morem extitisse, eique libros Epicuri, Chrysippi aliorum dupliciter inscriptos innotuisse. Neque solum priorum scriptorum libri tunc ita inscripti erant, sed etiam aequales Luciani, veluti Favorinum, Arrianum et inter Romanos Apuleium alios eundem morem secutos esse scimus. Cf. Pauly encyclop. real. s. vv. Favorinus et Arrianus; Baehr hist. litt. Rom. p. 584. ed. 2da. Bernhardt hist. litt. Rom. p. 636 sq. 641. ed. 2da; Apuleii opp. ed. bip. praef. p. X, XIII. Hildebrand ad Apuleium tom. I. p. 2; II. p. 170; 279; 433. Quae quum ita sint, Lucianum Epicuri potissimum exemplo motum suorum dialogorum novum genus duplicibus iisque magnam partem salsis facelisque titulis ipsum inscripsisse eo veri similis est, quo minus significantibus nominibus, quod Platoni licuit, usus est aut uti potuit. Etenim plurima nomina propria quae in Luciani dialogis alterum titulum praecedunt aut ficta et vulgaria sunt aut ita ex antiquitate petita, ut nisi aliquid additum esset, nemo quid isti tituli vellet divinare posset.

Neque vero ille usus duplicis inscriptionis in iis titulis substitit, quorum unus nomen proprium, alter appellativum fuit, sed ubi semel in consuetudinem quandam abiit, eo videtur permanasse, ut et duo nomina propria et duo appellativa ad duplices inscriptiones adhiberentur. Quorum exempla quae apud Lucianum nobis occurrunt, pleraque rebus quae tractantur optime conveniunt, neque illa duo nomina propria, quibus tres minorum declamationum inscriptae sunt, recte intellecta quidquam offensionis habent. In omnibus autem libellis quibus duo nomina appellativa praefixa sunt, haec utraque maximam partem et a festivitate ita commen-

dantur et ad materiam et consilium auctoris ita congruunt, ut utrum eorum convenientius habeas dubitare possis, velut in dialogis, qui inscripti sunt: *Ἀλιεύς ἢ Ἀναβιοῦντες, Πλοῖον ἢ Ἐύχαι, Δίς κατηγορούμενος ἢ Δικαστήρια, Κατάπλους ἢ Τύραννος*. Quod idem de dialogo cui titulus est: *Φιλομευδῆς ἢ Ἀπιστῶν* contra Fritzschi auctoritatem (cf. ed. Alex. all. p. 341) affirmare non dubito; nam ipsa haec appellativa apposite denotant ingenium personarum colloquentium mere fictarum, Tychiadis et Philoclis, quas Fritzschi loco appellativorum mutata simul particula disiunctiva in copulativam in textum recepit. Equidem malim illa appellativa voce *καί* coniuncta esse, quam in Tyranno scholiastes loco ἢ revera praebet; sed codicum scripturam mutare non necessarium habeo, quando duplices titulos particula ἢ coniungere ita usu venisse videtur, ut etiamsi copulativa argumento dialogi accommodatior esset, disiunctiva praeferretur.

Ita duplices tituli ex Luciani eiusque aetatis consuetudine recte intellecti fere omnes et sani et genuini apparent; quod vero perpauca restant, qui librariorum culpa corrupti medela egent, quis hoc mirabitur in tanto titulorum numero, si cogitaverit inter octoginta Luciani libellos qui feruntur a Bekkero viginti octo spurios declaratos esse? Immo magis mirandum tres tantum duplices titulos inveniri Luciano indignos nec eos difficili medela sanandos. Quorum primus est: *Περὶ τοῦ ἐνυπνίου ἤτοι βίος Λουκιανῶ*, qui inscriptus est illi declamationi, quae nescio quo iure ad hunc diem in omnibus editionibus Luciani operum chorum quasi ducat, nisi forte ipse alter iste a librariis infartus titulus huius honoris causa habenda est. Quae autem in Somnii titulo duplici tantopere offendunt, Luciani interpret ingeniosissimus Hemsterhusius ita exagitavit, (cf. Hemsterhusii anecdota ed. Geel. p. 1. sq.) ut eius rationibus Bekkerum motum esse credam, ut alterum foras eiceret. Vellem praeterea istud *περὶ* primi tituli eiecisset et cum Thoma magistro simpliciter *Ἐνυπνιον* scripsisset; ita haberemus titulum et Luciano et minutae illi declamationi convenientissimum. Quodsi Lucianus illam simpliciter ut complures similes declamationes *Ἐνυπνιον* inscripsit; hinc sequitur, siquidem idem scriptor eodem aut idem significanti verbo alium libellum licet addito altero titulo inscribere non potuit, ut dialogi qui vulgo vocatur Somnium sive Gallus titulus prior *Ὀνειρος*, quam vocem idem significare quod *ἐνυπνιον* ex ipso Luciani Somnio videre licet (cf. Luc. Somnium c. 5; all. Passow. lexic. ed. Rost. s. vv.) duce eodem Thoma magistro mutari debeat in *Μικυλλος ἢ Ἀλεκτρίων*. Cf. Jakobitz. Gall. 1 ed. maior, et quem citat Thom. mag. p. 30, 15. 72, 12. 145, 7. 225. 13. 338, 9. Ritschl. Qua ratione etiam hic titulus cum Somnii ceterisque vere Lucianeis titulis optime congruit. Unus adhuc restat titulus ut restituatur eius dialogi quem quidem ipsum Bekkerus Luciano abiudicavit; verumtamen quamdiu haec viri summi sententia nondum apertis et certis rationibus firmata constat, hoc non impedit, quominus in sanando titulo, qui in omnibus codicibus scriptus est: *Περὶ παρασίτου ἤτοι ὅτι τέχνη ἢ παρασιτική*, periculum faciam. In quo quod primum offensionem est, vocem *ἤτοι* pro *ἤγουν* usurpata, quae et per se seriorem grammaticorum aetatem redolet neque praeterquam in Somnii titulo ex quo iam Bekkeri opera eiecta est usquam alibi apud Lucianum hoc sensu occurrit, nunc idem Bekkerus et Jakobitzius in altera editione au-

dacior iure suo expunxerunt; sed alia adhuc in hoc titulo labes residet posteriori tempore contracta. Deleta enim voce ἤτοι desideratur particula ἢ qua plerique duplices tituli coniuncti sunt. Sed licet illam addas, ne sic quidem sanum sensum e verbis erues. Audendum aliquid erit. Nomen unius interlocutoris, Σίμων, quod nescio qua codicum auctoritate Bekkerus pro voce vulgo adscripta Παράσιτος ubivis iam in textum recepit, etiam in titulo pro verbis Περὶ παρασίτου, in quo v. περὶ magis etiam quam in Somnii titulo displicet, substituamus, et existet titulus Luciano dignissimus. Quodsi haec mea sententia assensum tulerit, ut dialogum novo nomine insignitum Micyllum, ita redivivum Simonem una cum Anacharsi, Timone, Menippo, Icaromenippo, Hermotimo habebimus, cuius alter titulus ἢ ὅτι τέχνη παρασιτική etsi paulum a ceteris discrepat tamen titulis eodem modo factis qui in catalogo scriptorum Epicuri et Chrysippi apud Diogenem l. l. inveniuntur confirmatur. Sed redeo unde digressus sum, et quoniam duplicem titulum Hermotimi ab ipso Luciano ut plurimos alios profectum esse satis firmis argumentis comprobavi, nunc ex posterioris tituli significatione et ex materia dialogi enarrata illum summae rei brevissime declarandae peridoneum esse demonstrabo.

Primum quo significatu Lucianus eiusque aequales verbo αἵρεσις usi sint, paucis mihi explicandum est. Nam etsi ubivis obvium est, αἵρεσιν tam electionem et rem electam quam sectam significare, tamen ex quo tempore et a quibus scriptoribus altera nova notio tantum ab illa distans usurpari coepta sit, vel in nobilissimis lexicis frustra quaeres. Quamvis multiplex et varius apud antiquiores scriptores huius verbi usus fuerit, tamen ante Alexandri magni aetatem nondum ad eam significationem progressus videtur quam Luciani tempore pervulgatam invenimus. Atque primum vestigium alterius significationis deprehendisse mihi videor in titulo Epicuri libelli περὶ αἱρέσεων apud Diogenem l. l., quo Epicurum de philosophorum sectis disseruisse vix dubium est, siquidem lectio certa est; quo consilio quaque ratione id factum sit, tantum coniectura assequi licet. Cf. Brandis hist. philos. I. p. 32., ubi etiam posterioris philosophi Apollodori libelli περὶ φιλοσόφων αἱρέσεων et Academici Clitomachi (Diog. 2, 92) περὶ αἱρέσεων mentio fit. Quantopere vero exinde hic novus verbi usus a graecis philosophis profectus invaluerit, vel ex eo cognoscas, quod Cicero aliique romani scriptores graecum verbum ut latinum eodem sensu quo vocabulo secta uti consueverant, usurpare non dubitarunt. Cf. Cic. parad. proem. ad fam. 15, 16. ad Att. 14, 14. Vitruv praefat. l. 5. (Forcell. lexic.) Postea accessit litterarum sacrarum usus, in quibus quum v. αἵρεσις praeter sectae notionem quam act. 26, 5; 28, 22 al. habet, etiam dissensionem sive σχίσμα significaret, (cf. I. Cor. 11, 18. 19. Gal. 5, 20; II. Petr. 2, 1. cf. Bretsch. lexic. N. T.) facilis erat transitus ad patrum ecclesiae usum, qui tam graeco quam latino verbo ad quodvis dogma Christianae religionis principiis adversum denotandum utebantur, quo a philosophorum consuetudine non abhorruerunt, nisi quod oppositionis notam addiderunt et magis rem electam i. e. ipsa placita eaque religiosa significarunt, quam eorum auctores et duces cogitarunt. Quo factum est, ut iam altero et tertio saeculo p. Chr. et apud theologos et apud philosophos aliosque scriptores nova significatio verbi ita divulgaretur, ut

in ea definienda multi certarint. Cf. Thes. Steph. s. v. et quos ibi laudat. Atque ipsum Lucianum si pervolvimus, etsi hoc verbo sensu Atticorum aureae aetatis, quos potissimum sequebatur, frequentius est usus, tamen non desunt loci, quibus illud pro philosophorum sectis usurpavit, velut Herm. 48. Conviv. 10. (Demon. 13.) cuius loco etiam saepius verbum *προαίρεσις* primus quod sciam adhibuit, ut Herm. 34; 47. Pisc. 23. Vit. auct. 1. Philops. 6. (Demon. 4.) Antiquiori autem verbi significatione toties vel in ipso Hermotimo (c. 17; 21 bis; 28; 67.) usus est, ut dialogum inscribere potuerit, *αἵρεσις* s. *περὶ αἰρέσεως τῶν αἰρέσεων*, quae inscriptio quam apta et definita futura fuerit, mox videbimus.

Ab initio enim consilium dialogi a Luciano ita institutum est, ut in exordio (a cap. 1. usque ad c. 14), quo quasi introitus in ipsam causam continetur, primum de longinquitate temporis disseratur, quo quis Stoicae philosophiae cui iam diu operam dantem alterum interlocutorem finxit, finem i. e. summam felicitatem veritate et virtute fundatam consequi possit. Quod in qua incerta spe sit positum, callide nec sine ironia significatur adpersis de ipsius venerabilis magistri pravitate narratiunculis. Ita via praemunita a cap. 14. usque ad c. 75. colloquium a Stoica philosophia exorsum progreditur ad generaliorem quaestionem de omnibus quotquot tunc erant philosophorum scholis s. sectis, (cf. Herm. 48. Vit. auct. passim.) et primum quidem disceptatur, quae earum ut omnium optima sit eligenda et amplectenda, ut quis summum bonum assequatur; quod quum dignosci et statui non possit nisi unaquaque penitus cognita, ad tale studium ne longissimam quidem mortalium vitam sufficere demonstratur. Deinde tametsi vita sufficiat et optima illa secta inveniatur, nondum tamen certum esse evincitur, num illa an nulla omnino veritatem quae unica sit habeat. Quare ante omnia critica quaedam ars postulatur (cf. c. 52; 64; 69.) qua qui sit instructus verum a falso discernere et tam optimam sectam quam optimum magistrum eligere poterit. Sed quum talem artem verum inveniendi se possidere nemo certo sciat omnesque philosophi finem assequi studeant nullo ante certo principio invento (cf. c. 66.), inde colligitur optimum factu esse ab omni sectarum studio abstinere, praesertim quum nullusdum philosophorum verum se invenisse gloriari possit, immo plurimi ipsi decepti alios decipere sibi proposuerint, raro autem existat aliquis qui verus philosophus veritatem aperte prae se ferat. (cf. c. 75.) Ita finita quaestione de sectis eligendis et fugiendis a cap. 76. usque ad ultimum cap. 86, quae in epilogi modum ad ipsum colloquium accedunt sermo unde exorsus erat ad Stoicorum doctrinam redit et dialogus hac adhortatione concluditur, ut quum ipsi Stoicae philosophiae doctores gravissimi qui imprimis virtutem perfectam praedicent vitam minime dignam quam discipuli imitentur agant, vel propterea tam Stoici quam ceteri omnes philosophi evitentur et vitae actuosae in qua virtus sit posita, tempus et opera detur.

Ita sermo de sectis sive de delectu et studio sectarum per totum dialogum perfusus in omnes eius quasi venas penetravit, ut quidquid praeterea disceptatur inde pendeat et hoc tantum consilio dictum videatur, quo manifestius appareat ex studio philo-

sophorum sectarum quales tunc erant nihil veri fructus in vitam hominum redundare. Quod vero Lucianus vanitatem cuiuslibet sectae studii ostensurus dialogum titulo inscripsit, quo philosophos ad longe alia usos cognoverat, hoc imprimis Epicuri exemplo motum eum fecisse mihi veri simile videtur, quoniam Lucianum hunc ipsum philosophum cognitis et abiectis ceterorum philosophorum placitis in cognoscendi et vivendi rationibus ducem potissimum secutum esse scimus. Cf. C. F. Hermann Ephem. schol. a. 1832. p. 809; opusc. N. X. p. 214. Sed prope certum habeo, Lucianum, quippe qui quum Hermotimum scribebat ab omni cavillatione esset alienus (cf. c. 50; 62), illum propterea simpliciter *περὶ αἰρέσεων* inscripsisse, ut ne titulo quidem mordaci laederet aut lacesseret philosophos sui temporis quos etiam ipso dialogo in universum magis leni quadam et Socratica ironia perstringit, quam acriter et acerbe castigat, quod contra aliis quibus philosophi irridentur dialogis factum videmus. Quare ipsi horum tituli, ut *Βίων πρῶσις*, *Συμπόσιον ἢ Λαπίθαι*, *Ἀλιεύς ἢ Ἀναβιοῦντες* salis et aceti aliquid continent, quo ipsos dialogos perfusos et imbutos invenimus. Epicurum autem Luciano in inscribendo hoc dialogo observatum esse ut crederem, etiam titulo dialogi illius qui in dividendis philosophis versatur permotus sum. Ut enim Epicuri libellus *περὶ αἰρέσεων* extabat, sic eundem *περὶ βίων* scripsisse Diogenes l. l. memorat, (cf. Paras. 31.) quem librum Lucianus philosophos irrisurus et cavillaturus ita in suum usum traduxit, ut vitae (*βίοι*) philosophorum, quas publica auctione minimo pretio venundatas finxit, idem fere significant quod sectae (*αἰρέσεις*). Qua ratione hosce duos dialogos non solum rebus sed etiam nominibus i. e. titulis artissime coniunctos esse liquet, quos ex eodem fonte manasse si non certum, at veri admodum simile mihi videtur. Qua in re hoc parvi refert, Vitarum auctionem sicut Rhetorum praeceptorem, Eunuchum, Fugitivos uno tantum titulo insignitos esse, quum Hermotimus duos titulos in fronte habeat, quorum uter significantior et accommodatior sit nemini dubium fore spero, si altera quaestione quis et qualis Hermotimus fuerit demonstravero.

— 2 —

CAP. II.

De personis colloquentibus Lycino et Hermotimo.

Eadem simplicitate qua dialogi titulus commendatur, scena et actores placent. In via urbis cuiusdam unus interlocutorum isque primarum actor, nomine Lycinus, forte incidit in alterum qui Hermotimus vocatur, virum iam sexagenarium ad scholas philosophiae doctoris iturum. Ubi quum colloquium de fine et fructu sapientiae studii exorsi essent, Lycinus Hermotimum ad scholas properantem allato nuntio de feriis ob hesternam magistri crapulam indictis remoratur, tum multitudine atque gravitate rationum hic et hic captiosarum eo perducit, ut philosophorum sectator omnem philosophiam continuo abicere animum inducat. Iam in his personis, quae solae omnes dialogi partes sustinent, videamus quid verum quid fictum habendum sit. Neque enim Luciani personae in universum ficticiae aut nihil significantes habendae sunt, ut multis visum est, nec quovis nomine certus quidam Luciani aequalium denotatur aut perfricatur.

Primum quod ad Lycini nomen attinet, etsi ubicunque apud Lucianum invenitur, haud facile quenquam fugiet, Lucianum sub eo latere, tamen nemo adhuc quod quidem sciam perfrequentem huius nominis usum et propinquam eius cum gentilicio Luciani nomine cognationem indagandam suscepit, quamquam Lehmannus (t. I. praef. p. 20), Hermannus (de conscr. hist. p. 140), Jacobitzius (in indice) haec duo nomina non differre affirmarunt. Ceterorum nominum, quibus Lucianus in aliis dialogis se induit, usus tam parvus est, ut idem vix bis terve repetitum inveniamus. Sic Menippi Cynici illius et satirici nomen (cf. pisc. 26) tantum in dialogis mortuorum et in Menippo ad partes suas agendas usurpavit, quo eodem tamen nomine cum Icaro compositum ad alterum interlocutorem designandum usus est in Icaromenippo. Item sutoris sapientis Micylli personam non dedignatus est in Gallo et in Tyranno. Sub Tychiade*), quod nomen unde assumpserit non liquet, in philopseude et parasito ipse latet. Frequentius semet ipsum simpliciter nomine *ἐταῖρος* inducit, quo eodem vocabulo aut fictis nominibus propriis idem significantibus ut Pamphilo, Philone aut Philonide etiam alterum interlocutorem appellare solet. Sed neque hanc appellationem neque ipsum verum

*) Hoc nomen, cuius etsi multa cognata et ex eadem radice orta et in libris et in inscriptionibus inveniuntur, nullum usquam vestigium deprehendere potui, a Luciano verborum lusum amanti eodem modo fictum videtur, quo Pisc. 19 coram iudicibus se Parrhesiaden, Alexionis filium nuncupavit et Gall. 14 ex Simone Simonidem fecit (cf. fugitiv. 26). Significat autem hoc patronymicum, sive a dea fortunae (*Τύχη*) sive a deo *Τύχων*, cuius in Anthologia mentio fit, derivatur, fortunae filium i. e. hominem fortunam fautricem expertum, qualem Lucianus sibi in vita anteacta praecipue in Gallia obtigisse gloriatur (cf. somnium; pro merc. cond. 15). Itaque non immerito cum festivitate quadam se nonnumquam Tychiaden et habuisse et appellasse videtur.

nomen Luciani, cuius loco etiam *Σύρον* vel *Σύρον λογογράφον* (bis acc. 25) vel *Σύρον ἑήτορα* (bis acc. 14) se nuncupavit, toties adhibuit, quoties Lycino partes suas attribuit. Praeter *Hermotimum* enim in undecim libellis Lycinus Luciani vices sustinet, qui sunt *Disputatio cum Hesiodo*, *Eunuchus*, *Symposium*, *Navigium*, *Imagines*, *pro Imaginibus*, *Amores*, *de saltatione*, *Cynicus*, *Lexiphanes*, *Soloecista*, quorum in numero etsi non omnes, at certe nonnulli eorum quos Bekkerus damnavit Luciano abiudicandi sunt, etiam perfectiores et nondum in suspicionem vocati dialogi inveniuntur, ut *Hermotimus*, *Eunuchus*, *Navigium*, *Symposium*. Hoc tam frequenti usu eiusdem nominis non solum docemur Lycinum non eodem loco habendum quo cetera ficta nomina sub quibus Lucianus latet, sed etiam tam prope ad Luciani nomen accedere, ut dubitari possit, utrum Lycinus potius an Lucianus verum scriptoris nomen fuerit, quod revera scholiastae videtur accidisse (cf. edit. Jacobitz. t. IV. p. 118 sq.). Verum ex accuratiori nominum ipsorum disquisitione certisque testimoniis intellexisse mihi videor, hunc nostrum scriptorem a patribus nomen Luciani accepisse neque unquam plane abiecisse, sed quum inter Graecos versaretur, apud quos in civium numerum se relatum esse memorat (bis acc. 30), Lycinum potius appellatum fuisse (cf. *Symposium* c. 11, ubi narrat se ab uno convivarum Lycinum vocatum esse). Patrium enim sive gentilicium nomen Lucianum fuisse, ipse diserte declarat *Alex.* 55, ubi suum cum illo sibi infestissimo praestigiatore tunc in Paphlagonia versanti congressum memorans dicit se illi nomine Luciani notum fuisse. Atque hoc nomen quo Lucianum apud barbaros potissimum vocatum fuisse veri simile est, illo tempore et postea in illis regionibus neque infrequens neque obscurum fuisse ex catalogo scriptorum apud Fabricium (bibl. graec. t. V. p. 361 sqq.) colligere licet, ubi inter decem Lucianos et in sacris et in profanis litteris haud ignobiles etiam unus Samosatensis nostri scriptoris popularis (cf. de hist. conscr. 25.), alius Antiochenus nominatur. Si vero nominis originem familiaeque huius nostri Luciani mediocrem conditionem, qualem ipse in somnio depinxit, spectaveris, veri perquam simile est hoc nomen nescio quo tempore ductum a Lucio quodam romano, cuius libertus domini nomen mutata terminatione in anus acceperit (cf. Pape lexic. nom. propr. praef. p. 11). Sed nec nominis nec generis ignobilitas causa fuit, cur in nomine a parentibus accepto (cf. Beckeri *Charicles* I. p. 25) non acquieverit, quando originem barbaram et obscuram gloria ingenii et eloquentiae vere Atticae nobilitasse se identidem praedicat (cf. *Somnium*, Bis acc.). Quod Lycinum se appellari maluit, quum proveciori aetate plurimum inter Graecos idque Athenis vitam degeret et Atticorum ἀπικώτατος esset, tantum propter peregrinum illud et barbarum, quod in romano nomine graecas aures offendebat, factum videtur. Quam ob causam Lycini nomen quod graecae originis et suo cognatissimum et inde ab Aristophane in libris et inscriptionibus frequens esset, aut ipse sibi indidit aut a Graecis sibi inditum recepit. Scilicet ut Lucianus in Lycinum transformaretur, primum loco Romanorum vocalis ū graecum ῥ adhibendum erat quod in latinis nominibus apud graece scribentes usitatissimum fuisse constat; tum contractio nominis

ceteroquin Graecis in nominibus propriis familiaris eo facilius fuit, quod graeci poetae syllabam penultimam in istius modi derivatis Romanorum nominibus corripere solebant. Cf. Luciani epigr. I. ed. Jacobitz. IV. pag. 21; epigr. 18. ed. Bekker. tom. II. p. 446; Passow. lex. ed. 4. tab. prosod. VI; Lobeck. ad Phryn. p. 670; Welcker opusc. I. p. 167; Hermann Antiq. gr. priv. III, §. 32, 17, 18, 19. Cuius simile exemplum offert cognatum nomen Lucae evangelistae quod correptum habetur ex Lucano, ut Silas ex Silano. Cf. H. Steph. thes. s. v. Lucas.

Quam proclives autem Lucianus eiusque aequales ad nomina propria multifariam variis de causis mutanda fuerint, paucis quae quidem apud Lucianum adhuc invenerim exemplis confirmare a re non alienum erit. Sic Peregrinus gaudebat se appellare Proteum (cf. Peregr. 1). Item sophista ille et grammaticus, quem Lucianus in Rhet. praefatore castigavit, quum antequam fama floreret Πόθεινος appellaretur, postea nomen Πολυδείκης se accepisse narrat (cf. rhet. praec. 24), quo eundem significari cui apud Romanos Pollucis nomen fuit speciosis argumentis Rankeus demonstrare conatus est (cf. Ranke, Pollux et Lucianus). In Pseudologista (c. 27) Timarchus quidam nequissimus homo, cuius nomen Bekkerus in titulo omittere non debuit, una littera praefixa ab Atheniensibus ad infamiam notandam Atimarchus appellatus est. Contra ad augendam amplitudinem pauperis sutoris Simonis, postquam hereditate patruelis accepta dives factus est, mutatur in Simoniden (cf. Gall. 14). Quin etiam prorsus nova et magnifice sonantia nomina homines e servis divites facti accipiebant (cf. Timon. 22 ibique Hemsterhusius). Quem quidem morem mutandorum nominum ut Lucianus in vita privata et ad risum iocumque movendum probavit et amavit, ita eum damnandum et vitandum iudicavit, si scriptores quidam falso atticismi studio inducti in veris historiis scribendis nomina latina in graeca mutantes sibi dissimilia redderent, veluti si Saturnium Κρόνιον, Frontonem Φρόντιον, Titianum Τιτάνιον appellarent. Quod etsi summo iure ubi de fide historiae agitur statuit, tamen ipse non dubitavit, Romanorum Saturnalia appellare Κρόνια (cf. Merc. cond. 37) et Saturnales epistolas dicere Κρονικάς ἐπιστολάς, sicut l. l. in locum romani festi Minervae quinquatruum substituit Atheniensium Παναθήναια. Haec pauca quae attuli exempla satis luculenter, opinor, declarant Lucianum et suo et temporis sui ingenio indulsisse non solum graeca nomina ut res postulabat mutantem, sed etiam romanas notiones ad Graecorum consuetudinem conformantem. Quare quod in aliorum nominibus more quorundam satirarum scriptorum sibi sumpsit, idem profecto non est quod miremur, si in suo ipsius nomine fecit aut ab aliis factum libenter tulit, praesertim quum tam leni et sponte se offerenti mutatione romanum et graecis barbare sonans nomen in gratum et pervulgatum graecum transformari posset. Haec habui quibus demonstrarem Lycinum nihil esse nisi graecis auribus accommodatum Lucianum.

Hermotimus, alter dialogi interlocutor, quis et qualis fuerit ut certo cognoscatur, praeter ipsum dialogum vix aliunde quidquam certi hauriri potest. In hoc igitur quae ad ingenium moresque Hermotimi cognoscendos spectant, undique collecta ita

proponam, ut inde appareat, quid de istiusmodi homine sit iudicandum aut quem certum hominem sub eius persona delitescere existimemus.

Inducitur Hermotimus vir sexagenarius (c. 17; 77) ex more illius temporis philosophorum barba proluxa et pallio detricto indutus (cf. c. 86). Is a quadragesimo aetatis anno per viginti continuos annos unis Stoicorum placitis (c. 13) et scholas frequentando et domi disputationum commentarios conscribendo ita se totum dederat, ut pallidus et incurvatus alterum pedem iam in capulo habere videretur (c. 2; 78). Hanc autem vitae rationem se suscepisse ait, ut supra vulgum emereret et duce sapientiae magistro summam felicitatem in veritatis cognitione et in virtute positam consequeretur (c. 1). In quo vitae genere, antequam hoc tam mirum consilium caperet, versatus sit, quibus artibus eruditus, quibus parentibus ortus, ex paucis admodum vestigiis per dialogum passim expressis conicere licet. Patris eius nomen fuit Menecrates, mater autem quomodo vocata sit Lycinus se fatetur ignorare (c. 50). Ingenuis eum institutum artibus fuisse ex egregia natandi peritia quae c. 65 praedicatur qui velit colligat; sed clarius apparet ex eo quod saepius et multis locis solemnibus totius Graeciae certaminibus interfuerat. Et Olympiae quidem iuxta praesides certaminum, quo dilucidius quae ibi agebantur cerneret, eum sedentem invenimus (c. 39). Ex quo evidens est, eum neque ignobilem aut ineruditum hominem fuisse et a fortunis ita instructum, ut quo vellet peregrinari et in urbe ampliori vitam sumptuosam agere posset. Quin abiecto sapientiae studio, quamvis decrepitis senex esset, purpurea veste se exornaturum et quod vitae reliquum esset splendide peracturum iactat (c. 86). Ingenium vero quale in hoc homine fuerit cum ex vitae genere quod amplexus erat, tum ex tota eius cum Lycino disputandi ratione perspicuum fit. Quod licet iam quadragenarius vulgi tantum opinione et incerta fama confisus uni magistro Stoicae sectae ut omnium optimae se addixerat in eiusque verba etsi per viginti annos vana spe elusus iurare non desierat, haec una res satis declarat, quam parum recto et firmo iudicio usus sit (c. 18). Quamquam cum hac ingenii imbecillitate animi quaedam probitas et pietas coniuncta fuit, quae eum ad vitia gravissima magistri quem magno opere venerabatur caecum reddebat. Si vero quaerimus, quid in rerum humanarum cognitione tali duce profecerit, licet per viginti annos posterioris aetatis huic negotio tantum laboris et sudoris impenderit, ex tota eius disputationis ratione cognoscimus, quam multo inferior sit Lycino et viginti annis iuniori necdum philosophiae initiato (c. 13). Quae adversario opponit quaeque interrogat, interdum (c. 58) tam inepta sunt, ut Lycinus, postquam eum ex omnibus latibulis eiectionem in angustias redegit, sibi temperare non possit, quin irrideat eum ludibrioque habeat; quare iste modo irascitur, modo contristatur, modo queritur, quod irrideatur (c. 51), quod vi illata invidus trahatur captiosisque rationibus irretiat (c. 53; 58). Quin ita est obcaecatus, ut adversarium acrius urgentem insimulet, quod sibi progressus quos iam in philosophia fecerit invidet (c. 63). Quamquam Lycinus pro certo affirmat se illum ut amicum humanissime tractasse atque argumenta alia et graviora ne laederet eum et profligaret retractasse

(c. 67). Ubi vero eo perductus est, ut nihil iam habeat quod obiciat, et se erroris turpissimi convictum sentiat, magnam profecto ingenii inconstantiam ostendit, cum non multum abesse dicit quin in lacrimas erumpat (c. 83); quas quum Lycinus viro tam grandaevo indignas reprobavit, prorsus diversam vitae viam se ingressurum vota facit et quoslibet philosophos sibi forte occurrentes ut canes rabiosos evitaturum se pollicetur (c. 86).

En habes imaginem qualemcunque Hermotimi Lucianei! Utrum talis vir Luciani tempore vixerit eiusque consuetudine usus sit (c. 2), an alius quis sub hac persona lateat qui perstringatur, nunc quaerendum. Hominem tanta mentis infirmitate, ne dicam dementia, Luciani ingeniosissimi viri socium et familiarem per viginti annos fuisse, quis credat qui Lucianum norit? Quare in fictis rebus et personis nos versari nihil ambigendum et mirandum profecto est, a Fabricio (in bibl. gr. III, 564 ed. Harless) istum Hermotimum inter Stoicos philosophos nominari, qui potius inter discipulos sexagenarios qui viginti annis nihil in philosophia profecissent referendus erat. Ne nomine quidem obscuri cuiusdam philosophi dignus est, quod ei datur in encyclop. real. ed. Pauly s. v. Hermotimus. Quo iure igitur Lycinum et re et nomine ipsum Lucianum esse supra me demonstrasse confido, eodem Hermotimum mere fictam personam habendam esse censeo, et ita quidem, ut eius stultitia nonnunquam ultra poeticae veritatis modum aucta videatur, nisi quis illud tempus feracius fuisse putat stullissimorum hominum, qualem hodie vix quemquam reperias. Luciani autem proclivitate vel ultra veri similitudinem depingendi ex uno exemplo quo nullum insignius mihi occurrit quodque instar multorum est cognoscas. Exstat illud in symposio c. 47, ubi Zenothemis altera manu nasum demorsum, altera oculum evulsum tenens perire se prae dolore clamat. Nomen vero Lucianus personae partes vanae philosophiae agenti imposuit per se satis amplum simulque splendide sonaturum, quod etsi minus celebratum fuit per viros artibus aut litteris claros, quam alia cum nomine dei Mercurii copulata aut inde derivata nomina, a Luciano tamen tanti habetur, ut per hunc deum iurans non sine sale Hermotimi animum ad cognominem deum advertat (c. 13). Neque ignotus fuit Luciano Clazomenius ille philosophus Hermotimus, cuius anima corpore relicto peregrinata ipsum identidem suscitavit, ut refert muscae enc. 7. Sed quod Dodwellio (cf. Lehmann praef. p. 53) in mentem venerat, hanc animam agere in nostro Hermotimo, hoc nemo iam serio affirmabit. De qua animae traductione si Lucianus cogitasset, certe occasione data alludere non praetermisisset. Sed huic nostro Hermotimo cum illo Clazomenio non plus commercii est, quam cum altero naviculario, viro quodam iuvene qui in dialogis meretricum (4, 2) memoratur. Ex quo eiusdem nominis usu ad personas longe diversas denotandas, cuius exempla ubivis obvia sunt, hoc certe efficitur, ut Lucianus istius modi nomine non certum quendam hominem, sed aliquem quemcunque intelligi voluerit. Qua eadem ratione Aristophanem in nominibus nobiles usurpandis usum esse docuit God. Hermannus ad Arist. Nubes praef. p. 42; not. ad v. 47; cf. Bernh. hist. litt.

Gr. II. p. 974 ed. 2dae. Neque in hac re cum Rankeo (cf. l. l. p. 28) facere possum, qui quibuslibet nominibus et personis in Hermotimo occurrentibus certos homines aequalibus notissimos denotatos esse censuit. Quid de aliis huius nostri dialogi personis sit iudicandum, suis locis videbimus, de Hermotimo nunc omnia ita in aperto esse credo, ut nemo non intelligat illum ita a Luciano fictum esse, ut profecto operae non sit pretium, talem hominem si revera vixisset resuscitare, neque verbum ullum de illo amplius facerem, nisi eidem Dodwellio l. l. statuere placuisset, Clazomenii Hermotimi animam peregrinantem non solum in hunc Hermotimum, sed per illum quasi in Marcum Aurelium imperatorem traductam, et ipsam vestem purpuream, qua conversus Hermotimus (c. 86) loco pallii philosophorum se usurum promittit, ad imperatoriam purpuram referendam esse. Habet quidem haec sententia quo se obiter intuenti commendat. Constat enim, M. Aurelium in omni vita philosophantem (cf. Capit. in M. Aurel. c. 1) Stoicae sectae imprimis deditum fuisse et imperator quum esset magistrorum domicilia visitare non aspernatum esse (cf. Capit. 2, 3; Dio 71, 35; Eutrop. 8, 12). Sed quominus Hermotimum personatum imperatorem habeamus, non solum temporum discrepantia obstat, quam Lehmannus Dodwellio (l. l. p. 58) suo iure obiecit, sed omnia alia ab imperatore abhorrentia immo ita contraria sunt, ut illum non magis quam quosvis alios, quicumque nimiam operam philosophis dabant, Lucianus vellicare voluisse putandus sit (cf. Schlosseri hist. univ. t. III, 2, p. 236 sqq.).

Ceterum, si quem alium, se ipsum maxime in Hermotimo effingendo ob oculos habuisse Lucianum puto *), quandoquidem relicta rhetorica anno aetatis quadragesimo (cf. bis acc. 32) veritatis inveniendae studio ductus ita animum ad philosophiam applicaverat, ut ad celeberrimos quosque sectarum magistros per orbem quasi circumiens neque sumtui neque operae parceret, donec tandem intelligeret, nec veritatem nec virtutem ne Stoicorum quidem ab hac parte laudatissimorum quemquam possidere, plurimos vero vanis promissis discipulos deludere et decipere (cf. pisc. 11; 12; 29; Necyom. 4 sqq.; Icaromen. 5. C. Fr. Herm. opusc. p. 208; 217 sqq.). Ita perspecta vanitate istius philosophiae sub persona Hermotimi quemcunque tales magistros sectantem inania agere ostendit, non quo sibi arrogaret, se solum veritatem perspexisse (cf. Hermot. 53), sed ut alios ad meliora agenda incitaret (c. 84).

*) Simili modo Goethius in Faustii trag. part. I. in colloquio Mephistophelis cum discipulo se ipsum induxit. Cf. Düntzeri et Hartungii commentarios.

CAP. III.

Quo tempore Hermotimus editus sit.

Quod in nullo alio Luciani dialogo invenitur, ut auctor idemque primarum actor, quo anno aetatis dialogum habuerit, ipse dicat, hoc in Hermotimo (c. 13) factum videmus. Ibi enim Lycinus Hermotimo se virum quadraginta annorum aestimanti respondet tot annos se revera natum esse. Atque eundem numerum aetatis annorum reperimus in Bis accus. c. 32, ubi coram iudicibus ait sese annos fere quadraginta natum relicta rhetorica philosophiae operam dare coepisse. Qui loci quum in una eademque temporis professione congruant, eodem aetatis anno Lucianum tam Hermotimum edidisse quam vitae genus mutasse quotquot adhuc de Luciani vita libellorumque ordine et tempore sententiam aperte dixerunt, statuere non dubitarunt. Sed qui ipse antehac in unanimi tot gravissimorum virorum sententia acquieverim, nunc persuasum habeo, alterutrum eorum quae ex his locis colligi posse visa sunt necessario falsum esse, et quum maior fides alteri loco Bis accusati debeat, Hermotimum a Luciano potius philosophiae iam pertaeso et cuiuslibet generis philosophos peroso quam philosophandi viam primum ingrediente scriptum fuisse.

Iam primum quid universe de annorum aetatis computatione in Hermotimo sit iudicandum, verba addita declarant, quibus numeri restringuntur. Sic Lucianus tam loco supra laudato c. 13 quam c. 2 et c. 25 particulam *σχέδον* addidit, cui c. 2 et c. 13 accedunt verba, *εἰ γὰρ τι μέμνημαι* vel *εἴ τι μέμνημαι*. Ex quo colligere licebit, auctorem talia neque stricte neque serio dicta accipi voluisse. Sed haec parvi momenti sunt, gravius argumentum inde petam, quod quae c. 2 et c. 13 memorantur minime congruunt cum aliis Lucianeorum libellorum locis, ita ut alterutri necessario pro fictis habendi sint. Si enim Lycinus qui c. 13 quadragenarius inducitur, c. 2 iam per viginti continuos annos Hermotimum in eadem urbe scholas philosophorum frequentantem vidit, eundem necesse est et ipsum viginti annos eodem loco perpetuo mansisse. Ex quo consequens foret, ut Lucianus iam vicenarius uno eodemque loco sedem posuisset. Atqui ex Bis accus. c. 32 et Pisc. 29 evidenter apparet, illum non ante quadragesimum annum vitam rhetoris sive sophistae ubique gentium versantis reliquisse, praesertim quum ex altero loco (Pisc. 29), ubi se ad philosophiam confugisse ait, ut quidquid vitae sibi reliquum esset sub eius tutela transigeret, colligi possit, Lucianum potius quadragesimum annum iam egressum quam nondum quadragenarium vitae genus mutasse. Non potest igitur non fictum esse, quod c. 2 de viginti annis uno loco transactis narratur. Quodsi hic numerus fictus habendus est, idem etiam de aliis statuere aut saltem dubitare licet. Ut vero de numero eius loci, ex quo annum quo Hermotimus scriptus esset eruere voluerunt, non solum dubitarem, sed firmiter persuasum haberem illum non posse non fictum esse, aliae praeterea et graves

raciones me adduxerunt. Si enim ex locis supra allatis certo sequitur, Lucianum demum post annum quadragesimum philosophiae assiduam operam navasse, ea est huius dialogi ratio, ut eodem anno scriptus esse non possit, immo multa indicia longe seriore annu natalem redarguunt. Primum enim tota dialogi materia testis est tantae notitiae quum ceterarum sectarum eorumque principum, tum inprimis Stoicae philosophiae, quantam nemo nisi sit diu multumque in litteris et scholis illorum versatus, sibi comparare possit. Lucianum vero neque obiter neque extremis tantum labiis philosophiam delibasse, sed per complures certe annos assiduo studio in eam incubuisse, ubi primum attigit, ipsi serio loquenti et identidem affirmanti non est quod diffidamus. Cf. supra cap. II. extr. Exstant praeterea in hoc dialogo manifesta indicia ex quibus intelligitur, auctorem in fine longi temporis, quod philosophiae impendisse se dicit, constitutum fuisse. Sic et principium illud quod c. 47 commendatur et ars critica, quae c. 64 et c. 68 ad explorandos et eligendos optimos philosophos postulatur, fructus diuturni in philosophia collocati studii haberi possunt. Atque illa toties iterata querela de brevitate vitae si cum longa arte, quae hoc loco philosophia est, comparatur (cf. c. 1; 63), nonne argumento est, eum qui ita queritur experientia doctum et multa conatum eo pervenisse, ut etiam alios ab incepto deterreret, quod ipse tandem abiecturus est aut iam abiicit? Neque solum propter brevitatem vitae longam artem Hermotimo dissuadet, sed multo magis propter vanitatem cuiuslibet generis philosophiae, quando nullo studio certi aut firmi quidquam inveniri possit (cf. 69; 70; 71). Profecto haec sententia non cadit in hominem cum maxime in portum philosophiae confugientem et summa inde exspectantem, sed prodit animum de veritate inveniendi desperantem omniaque in dubium vocantem. Quem animum Luciani quoniam ex Hermotimo cognoscimus, vix dubium relinquitur, quin finitis demum illis erroribus, quos veritatis inveniendae causa susceperat, Hermotimum scribere potuerit. Sed aliud argumentum in promptu est, quo quod statui magnopere confirmatur. Quod enim Lucianus c. 62 ipse dicit, a se alienum esse philosophiae maledicere, et quod c. 51 Hermotimum dicentem facit, ipsum cavillatorem esse et odisse philosophiam et irridere philosophos, hoc ipsum prodit, quousque iam ultra querelas de perspecta vanitate philosophiae progressus fuerit, quamquam hic dialogus omnino a cavillatione alienior est quam quisquam eiusdem generis. Eum enim qui talia dicat potius osorem et irrisorem philosophiae et philosophorum quam amantem et sectatorem cogitare debemus. His argumentis ex interiori argumenti quasi recessu petitis aliquantum auxilii accedit ex dialogi forma quam vocant sive compositione accuratius perspecta. Hic enim omnia tam enucleata, tam perspicua, tam ad persuadendum apta videmus, ut quum maturam aetatem auctoris tum ingenium optimis litteris praecipue antiquiorum philosophorum (cf. Pisc. 6) imbutum et severa disciplina subactum facile cognoscamus. Atque ex eodem fonte fluxisse mihi videtur aequalitas illa prope singularis et orationis et disputationis per totum dialogum perfusa, quae non potest nisi ex animo tranquillo et moderato profecta haberi. Quare etiam vitiosissimi philosophiae magistri magis leniter et tacite perstringuntur, quam vehementer lae-

duntur uno excepto loco in fine dialogi (c. 86), ubi auctor qui admirabili animi moderatione indignationis affectum eo usque cohibuerit, parumper exardescit, cum philosophos istos cum canibus rabiosis comparat. Quo uno verbo quasi aculeum in animis legentium reliquit simillimum illi quem penultimus versus nubium Aristophanis continet (cf. God. Hermann ad h. l.). Quamquam ipsa illa similitudo canum rabiosorum Luciano tam familiaris fuit, ut illo tempore minus acris et pungens quam nostro fuisse videatur. Sed satis multis et firmis argumentis meam sententiam de seriori aetate auctoris, qua Hermotimum conceperit, probasse et confirmasse credo; nunc a re non alienum erit quaerere, cur Lucianus in annis computandis a vero discesserit et quo tandem anno aetatis hunc nostrum dialogum scriptum, quoque loco inter ceteros ponendum esse existimemus.

Quo consilio Lucianus et Lycini aetatem i. e. suam vera minorem et Hermotimi maiorem finxerit, pro certo explorari nequit. Qui enim scire quisquam potest, quid quaque fictione scriptor, qualis Lucianus fuit, voluerit, cui certe haec venia danda est, ut personas ex suo arbitrio fingat, quo modo sese ei quod satirae propositum est optime consulturum arbitratur? Sed quoniam satirae hoc praecipuum est, ut ex oppositione rerum contrariarum risum excitet, non admodum a vero aberrare mihi videor, si pono Lucianum hoc iccirco fecisse, ut quo magis discreparent aetates personarum contrarias partes agentium, eo luculentius cognosceretur, mature deserendam falsam philosophandi viam, ne quis sero erroris convictus aliis et deplorandus et ridendus appareret. Cuius rei ridiculum exemplum Lucianus Hermotimum proposuit, senem scilicet sexagenarium istis studiis deditum, qui a viri multo iuniori, sed recto iudicio utenti necessariis rationibus dedocetur et ad sanam mentem et meliorem vitae frugem revocatur.

Iam de anno quo Hermotimus scriptus sit si quaeritur, ingenue fateor, quoniam ex fictis huiusce dialogi numeris nihil colligere licet, ne aliud quidem vestigium me adhuc in hoc dialogo deprehendisse, quod ad tempus accuratius definiendum ducat. Quare hoc nobis satis esse debet, ut Hermotimum potius a quinquagenario Luciano quam a quadragenario scriptum esse statuamus, nisi forte ex commemoratione Evandridae, arbitri Olympiorum certaminum, quibus Hermotimus nuper (*ἑναγχος*) se interfuisse dicit (c. 39), annum illius Olympiadis ut eliciat alicui contingat. Quamquam nondum constat, utrum iste Evandridas idem sit qui Evanoridas, quem Pausanias (VI, 8, 1) catalogum victorum Olympiorum fecisse memorat, nec quo anno ipse ille Evanoridas vixerit. Cf. Pauly, *encycl. real.* s. v. Evanoridas.

Si vero ab aliis Luciani scriptis auxilium petimus, haec ad definiendum annum natalem Hermotimi nihil, pauca ad ordinem quo ponendus sit suppeditant, siquidem nullo testimonio uti licet quod ex libello vel uno nomine suspecto sit petitum. Quod quum plerisque qui de Luciani vita scriptisque ordinandis scripserunt, aliter visum esset, fieri non potuit, ut quibuscunque libellis qui Luciani nomine feruntur testibus usi multa incerta aut falsa in medium profferrent. Itaque adhuc fundamento caremus, quo Luciani vitae historiam et ordinem libellorum firmiter superstruere possimus. Si placuisset viro summo, Im. Bekkero, qui libros et genuinos et suppositicios in novum ordinem redegit,

eum aliis communicare rationes, quibus ductus singula quaeque disposuerit, hinc fortasse certi quid in Hermotimum redundare potuit. Nunc nihil reliquum est, nisi ut Bekkeri ordine utpote maxime probabili pro fundamento habito quaeratur, num Hermotimus inter ceteros Luciani libellos quo debeat loco ab illo sit positus. Atque Bekkerus Hermotimum post tam multa Luciani scripta posuit, ut paene credam ab illo hunc dialogum seriori quam vulgo putatur aetati auctoris attributum fuisse. Verum paucis dialogis, praecipue ex numero eorum, qui cognatione quadam inter se continentur, a Bekkero post Hermotimum collocatis priorem locum concedendum esse perspexisse mihi videor. Sed quum probe sciam, quam ambigua et parum explorata in re verser et quantae auctoritatis viro oblocuturus sim, quo confidentius de aliis rebus iudicavi, eo timidius de hoc ordine invertendo sententiam meam pronuntiabo. Itaque praeter Anacharsin, Timonem et Menippum, qui et a dictione et a dialogi compositione minus maturum auctorem produunt, etiam Eunuchum et Fugitivos Hermotimum antecessisse puto, quibus dialogis ceteroquin minus perpolitus quum Lucianus certos quosdam sibi invisos homines mordaciter lacessiverit, iracundior ideoque iunior cum eos scribebat fuisse putandus est. Philopseudem vero minus dubitanter proxime ante Hermotimum collocaverim. Hoc enim dialogo iidem fere sectarum principes, qui nobis in Hermotimo et Symposio mutatis tantum nominibus occurrunt, propter credulitatem in rebus sensum et intellectum egredientibus perfricantur et deridentur; quod quoniam Lucianus sine ira et acerbitate fecit, hoc dialogo tamquam primo impetu leniori philosophos cuiusvis generis adortus esse videtur, quem mox insecutus est Hermotimus. Quo licet magis rem ipsam i. e. vanum esse omne sectarum studium sale Attico et ironia Socratica ita demonstrasset, ut quosdam tantum philosophos tecte et tacite perfricaret; tamen hoc dialogo edito istos philosophiae doctores exacerbasse et sibi invisos reddidisse videtur. Quod tantum abfuit ut ab iis persequendis abstineret, ut non ita multo post acrioribus dialogis in eosdem inveheretur. Quorum primo loco ponendum duco Vitarum auctionem, cuius dialogi titulus quomodo cum altera inscriptione Hermotimi cohaereat, supra monui. Sicut autem Vitarum auctione odium suum in omnes omnino sectas effuderat, quando ne venerabilioribus quidem antiquitatis philosophis pepercerat, ita magistrorum sapientiae et virtutis vitia turpissima in Symposio castigavit, quem dialogum vel propterea post Hermotimum ponendum esse pro certo habeo, quod omnia illa vitia, quae in Hermotimo carptim et generaliter perstringuntur, in Symposio ad vivum adumbrata videmus. Si enim tum quum Hermotimum foras dabat Symposium in manibus legentium iam fuisset, neque opus neque aptum foret speciem affectare secreta continentis, ubicunque in Hermotimo ad philosophorum improbitatem sermo deflectitur.

CAP. IV.

Quo loco dialogus sit habitus.

Hoc mea perquisitione Hermotimi effectum est, ut quod alii ex Herm. c. 2. e simili loco Demonactis (c. 1) statim collegerunt, mihi nunc ex tenuibus vestigiis nostri dialogi sit eruendum. Etenim qui illis locis ut veris et indubitatis utuntur, hoc certo se scire arbitrantur, Lucianum qui relicta rhetorica Athenas migravit, ibidem per viginti annos, quod Planckio placuit (cf. progr. Uracense a. 1850 p. 9), aut saltem quinque ut statuit Struvius (cf. de vita Luciani spec. II.) domicilium perpetuo habuisse. Ex quo consequens esset, omnes Luciani libellos, quos quidem post quadragesimum aetatis annum editos esse constat, exceptis modo iis, qui extremam aetatem auctoris produnt, hoc ipso loco esse conscriptos. Quare supervacaneum foret anxie quaerere quo loco Hermotimus in lucem prodierit. Sed quoniam ex commenticiis Hermotimi numeris nihil concludere licet, Demonactis autem similiumque libellorum multis nominibus suspectorum testimoniis abstinendum est, dum isti libri si fieri possit ab omni suspitione sint liberati; omnia vestigia quae Hermotimo impressa sunt ita pervestigare meum esse duxi, ut etsi nomen aut certum quoddam indicium illius urbis in cuius via quadam totum colloquium absolvitur, nusquam reperitur, illam tamen non aliam nisi Athenas esse veri simillimum haberi possit. In ceteris dialogis qui perinde atque Hermotimus in sectis et magistris sapientiae persequendis et deridendis versantur ex uno alteroque indicio Athenis omnia velut in scena agi statim docemur. Sic et in Vitarum auct. c. 7, et in Bis accus. c. 4 uno Areopago commemorato et auctionem et iudicia Athenis haberi comperimus. Quin ut in Bis acc. c. 9 praeter Areopagum arx et Pelasgicum Athenas indicant, ita in Piscatore tot loca et monumenta Athenarum ut c. 13 Ceramicus, Academia, Poecile, et c. 42 Pelasgicum, Asclepieum, Anaceum et Tali sepulcrum memorantur, ut imaginem quasi illius urbis repraesentent. Talia quidem et his similia documenta in hoc nostro dialogo frustra investigabis, attamen non desunt alia eaque satis manifesta indicia quibus eodem ducimur; modo teneamus, Hermotimum cum iis quos modo dixi dialogis propinqua quadam cognatione esse coniunctum. Itaque equidem Asclepieum quod Herm. c. 37 simul cum Bacchi templo memoratur, quamvis multa ubique tunc Aesculapii templa et oracula fuisse constet (cf. Luc. Alexand. c. 10; 13; 14 ibique Jacob), ad Athenas propterea referre non dubito, quod eiusdem etiam in Pisc. l. l. mentio facta est. Simile vestigium agnosco in mysteriis et Panathenaeis quae c. 4 annuorum solemnium exempla afferuntur. Quae si nusquam nisi Athenis celebrata fuisse certum est, quis negaverit eos qui his festis ad tempus aliquod constituendum utuntur, Athenienses aut in Atheniensium numerum receptos esse? Atqui mysteria apud Lucianum non alia nisi Eleusinia esse, quae Athenis et Eleusine quotannis celebrabantur, prima harum observationum particula a. 1851 edita p. 6. ita me demonstrasse puto, ut inde colligere liceat, Panathenaea cum mysteriis hoc loco coniuncta itidem Atheniensium solemnia habenda esse, quamquam Lucianus de merced.

cond. c. 37. Romanorum festum Minervae etiam Panathenaea nominavit. Cf. cap. II. pag. 9. Neque admodum levis momenti esse puto, quod ex Atheniensium historia exempla passim petuntur, ut Thesei c. 47, Phidiae c. 54, Euclidis archontis c. 76. Qua ex re etsi nondum consequitur, talia loquentem Athenis locutum esse, tamen ea pro Atheniensibus et ab homine rerum Atheniensium gnaro dicta habere licet.

Verum his missis quae sola et seorsum spectata levia et minus firma esse ipse non diffiteor, gravius argumentum ex philosophorum multitudine et conditione qualem in Hermotimo conspicimus, atque ex convivio apud Eucratem habito subiungam. Hermotimum enim dum legimus, omnium quotquot tunc florebant sectarum duces cum suis quisque sectatoribus et discipulis nobis obviam veniunt. Cf. c. 14; 18; 48. Quia in propylaeo domicilii unius e nobilissimis doctoribus indicationem litteris maiusculis publicatam eoque maximum tam popularium quam exterorum discipulorum gregem concursantem videmus. Cf. c. 9; 10; 11; 80. In hac imagine nemo non agnoscit sedem illam et domicilium sapientiae studiorum, Athenas; quam urbem non solum ceteris illo tempore litterarum laude celebratis longe praestitisse, sed et ipsam Luciani tempore Hadriani et Marci Aurelii liberalitate et patrocinio tanta celebritate philosophiam docentium et discentium quanta nunquam antea aut postea floruisse constat. Cf. Luc. Eunuch. c. 3. Bernh. hist. litt. Graec. p. 488; 504; 510 sq. ed. 2. At dicat aliquis, haec eadem eodem aut maiore iure de Roma capitali urbe totius orbis terrarum praedicari posse. Concedendum quidem Romam praecipue tempore philosophantium imperatorum cuiuslibet generis philosophos cum ex aliis terris tum maxime e Graecia confluisse gloriam et pecuniam quaerentes, ubi aut publice docerent aut in familiis nobilium et divitum mercede conducti operam praestarent. Cf. Luc. de merc. cond. Bernh. l. l. p. 484. Verum enimvero primum istiusmodi graeculorum multo maior numerus erat sophistarum seu rhetorum et grammaticorum quam eorum qui philosophiam profitebantur; (cf. Bernh. l. l. p. 488. et hist. litt. Rom. p. 51 sqq. ed. 2), tum ipsi illi licet totidem quot Athenis Romae fuissent, in ingenti hominum Romae degentium multitudine tam parva auctoritate erant, ut, quod Lucianus testatur de mere. cond. 24., Romae peregrini iique ob mores despiciati et essent et haberentur. Cf. de merc. cond. c. 40. Athenis vero et urbe multo minori et antiqua sede philosophiae omnium maxime philosophi illa tempestate ita numero et auctoritate florebant, ut quin inde potius quam ab ulla alia urbe ne Roma quidem excepta imaginem in Hermotimo nobis oblatam Lucianus depromserit, minime sit dubitandum.

Sed ut ultimus scrupulus evellatur, si quis adhuc resideat, unum restat argumentum ex convivio et persona Eucratis ductum. Ante omnia autem Eucratis quis et qualis fuerit inquirendum erit, de quo interpretes Luciani in diversa abierunt. Si scholiastae ad Gall. c. 7 hunc Eucratem Atheniensem fuisse affirmanti fidem habere liceret, nullo alio argumento opus fuit ad demonstrandum, hunc nostrum dialogum Athenis habitum fuisse. Verum etsi scholiastae alias probabilia et ad res et loca Athenarum explicanda utilia afferunt, tamen qui haec de Eucrate prodidit, quem certum et notum hominem videtur habuisse, hoc iccirco ex nullo alio fonte quam ex Hermotimo aut ex suo ingenio eum hausisse equidem

puto, quod Eucratem qualem ex Hermotimo aliisque Luciani dialogis cognoscimus, eodem quo Hermotimum modo commenticium nomen esse personae divitis tam philosophantis quam cum philosophis convivantis mihi persuasum est. Si enim ex iis quae de Eucrate in Herm. c. 11, Gall. c. 7; 32, Philops. c. 5 sqq.; 17. traduntur, unam quandam imaginem animo concipimus, ita ad vivum expressum videmus hominem certis moribus praeditum, ut, quod Lucianus se voluisse dixit, ex more antiquae comoediae statim cuiusvis mutatis modo nominibus et una alterave nota detracta si non pares at similes inter aequales et populares in mentem venirent. Cf. Pisc. 38; Ranke l. l. p. 29. Fingitur enim Eucrates vir sexagenarius divitiarum copia et usu liberali tam celebris, ut a Luciano non nominetur nisi addito epitheto *ὁ πᾶνν* vel *ὁ πλούσιος*. Eum cuiuslibet sectae philosophi non solum ad opulenta convivia concelebranda conveniunt, sed ab iisdem et ab ipso Luciano podagra laborans visitatur. Atque inter illos Eucrates et sapientiae laude (cf. Philops. c. 17) et barba prolixa ceteroque habitu philosophi insignis conspicitur; quod tamen non impedit, quominus idem vir etiam clandestinis libidinibus deditus fuisse dicatur. Cf. Gall. c. 32. Quae omnia etsi in unum hominem cadere possunt, tamen nemini in mentem veniet credere Lucianum verum istiusmodi hominem, quippe cuius familiaritate uteretur, despicatui et risui dare voluisse; quodsi Eucrates qualis in Hermotimo, Philopseude, Gallo depingitur, veritati repugnat, nihil nisi fictum nomen esse etiam evidentius elucet e dialogis mortuorum, ubi (5, 1 init.) eodem nomine significatur homo exoletus nonaginta annorum, qui praeter divitias nihil cum hoc nostro commune habet, et praeterea a Luciano Sicyonius appellatur, quare Solanus Romanum cum quam Graecum habere maluit (cf. Solani not. ad h. l.). Quod vero in tam vario eiusdem nominis usu, cuius simile exemplum in Hermotimi nomine supra vidimus, opulentiae nota ubique servatur, facile adducor ut credam Lucianum non solum nomen, sed etiam divitias ab Aristophane, quem quomodo secutus sit ipse aperuit in Pisc. c. 25; 26; 33. assumpsisse, quem ut res flagitabat ex suo ingenio varie effingeret. Cf. Aristoph. Equit. v. 129; Lysistr. v. 102. Verum idem scriptor ut sibi indulsit idem nomen ad varias personas adhibere, ita easdem prope personas mutatis tantum nominibus inducere non dubitavit. Veluti convivor Symposii etsi Aristaenetus nominatus ab Eucrate Hermotimi, Galli et Philopseudis praeter nomen vix ulla alia re differt. Tam similia enim hic omnia velut in pictura arte elaborata conspicimus, quae Hermotimus et Gallus leviter tantum adumbrata continent. Inter convivas autem ut in Zenothemide Stoicae philosophiae doctore statim agnoscimus Hermotimi magistrum, quamvis eius nomen in hoc nostro dialogo consulto reticeatur, ita is qui in Symposio Peripatetici philosophi partes agit etsi ex Euthydemo Cleodemus factus eadem persona est, quam Hermotimus offert. Sed pauca haec exempla satis declarant, Eucratem neque certum quendam hominem esse, neque ex nomine eius quidquam colligere licere. Itaque mores et ingenium divitis illius viri, qui, sive Eucrates sive Aristaenetus vocatur, cuiusvis generis philosophos lautis epulis excipere et cum iis philosophari solebat, quo volumus nos ducere debent. Quamquam omnino negandum non est etiam Romae Eucratis similes extitisse viros nobiles et divites

qui philosophos aliosque litteratos homines ad coenas vocarent, tamen quum romani nobiles teste Luciano (cf. de merc. cond. c. 25; 35.) philosophiae parum studiosi essent, raro certe Romae tam frequens philosophorum concilium cerneret, quale apud Eucratam vel Aristaenetum videmus. Et profecto, si istiusmodi convivia Romae frequenter celebrata fuissent, Lucianus ea in dialogo de mercede conductis, qui totus in rebus romanis describendis versatur, silentio non praetermisisset. Ceterum hoc ultimum argumentum de patria Hermotimi, quod a philosophis et Eucrate petii, tam grave mihi videtur, ut etiamsi nulla alia exstarent indicia, et Philopseudis et Symposii scenam Athenas esse audenter affirmarem.